

IACOBVS DE STRADA

MANTVANVS ANTIQVARIVS

AD LECTOREM.



V' M iam pridem mecum deliberassem in gratiam illorum, qui rerum antiquarum cognitione, ac studio praesertim Numismatum ducuntur, hanc Epitomen publicare, time-rem autem ne quis eorum, qui in hoc labore ante me ver-sati sunt, offenderetur, haecenus id distuli, quia rumor sparsus foret, Venetijs adornari opus eiusmodi, sculptis iam perquam multis Numismatum imaginibus, quinetiam Romae, id quos-dam incœpisse. Caterum tantisper dum egregium quidquam expecto, & co-natus ipse meos retardo, ut priusquam labor meus cum doctis communica-retur, ex aliorum scriptis iudicarem quid optimum sit, atque in eo genere certissimum: nullus eorum, qui suis nos promissis excitauerant, id praestitit, quod pollicebatur. Quamobrem statutum est hanc tarditatem abjicere, cum intelligam multò difficilius esse verbis ac pollicitatione, quam re ipsa libros huiusmodi conscribere: quos etiam, si ut facturos se receperunt, in lucem mittant, hunc meum anteiturum non dubito. Verum quandoquidem suos illos foetus domi pertinacius occulunt, hac Epitome nostra ducem me illis praebeo, viamque monstro, ut me consequantur, vel etiam deorum, naturae, & doctrinae adiuti praesidijs antecedant, haud quidem veritus, ne copia numorum ab ijs vincar, cum fieri non posse credam ut plures aliquis coag-geret, nisi forte arbitrio suo fingat, ut liberum est ac facile ex arte quidli-bet reprepresentare. Verendum tamen ne in crimen incurramus: quod ma-ior pars eorum, qui sese totos dediderunt ac perscrutanda veterum monu-menta, maximè Numismata, probe norit IMPP. ac COSS. omnes, qui ex-cudi fecerunt, quinetiam numerus numorum, siue magnus sit, siue parvus, est ab eis perspectus. Quod ut effugere quis possit, iudiciū adhibendū certū, ne pro veris adulterinos & falsos accipiat: hac enim tēpestate tam ingeniosi & excellētes inveniuntur sculptores, ut cum illis veteribus sint cōparandi, quique notiores sunt, quam ut hinc nominare necesse sit. Deinde adhibenda summa diligentia est, ad seligendos eos numos, qui à peritissimis quibusq; in arte Anaglyptica sunt exculpti, propter eorum & venustatē & elegantia: in quā rem totis viribus incubuisse me confiteri non vereor. Verū satius esse